THEATRALIS GESTICULATOR

E PROSCENIO DETURBATUS,

Sive Refutatio Libelli Famoſi,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CUI TITULUS,

L'ADVOCAT FRANCOIS,

Produit en Theatre par le Profeſſeur DU BOIS,

Pardevant Monſ. Steyaerts, Docteur &c.

PRofectò deſperatiſſimam eſſe cauſam oporteat, cujus infirmitatem tam ſucciduo tibicine neceſſe ſit ſuffulcire. Mimulus Profeſſor, ad theatra magis quam pulpita natus, in ſcenam vocat *Patronum Gallum, cum Cliente miſerabili*, ipſus hominum miſerrimus, cum *nil miſerius miſero non miſerante ſeipſum.*

Judicem accit, cujus cauſa agitur, adeoque, ſi quid leguleius in Legibus noſſe vult, arcendum à tribunali. Niſi fortaſſe theatralis ſuæ geſticulationis, ut res eſt, ſpectatorem malit eſſe quam judicem. Itaque hiſtrionicum Profeſſorem ex orcheſtrâ audiamus.

Præfatur, *ſe gravibus negotiis Eccleſiæ Principis Apoſtolorum obrutum, & ideò ceſſantem à ſcriptione, ac pænè torpentem, excitatum recenti galli cantu.*

Cur ad negotia Eccleſiæ iſtius perreptavit, per viam Divinarum Scripturarum oraculis, Canonibus Sacrorum Conciliorum, ac SS. Patrum Doctrinis exertiſſimis deteſtatam? Utique concidiſſet Eccleſia D. Petri, niſi nacta Decanum per *Carta Blanca*, tam eximium, maturum judicio, moribus ſerium, inceſſu gravem.

Mox inſurgit in *falſarum mercium & falſæ monetæ cuſores*, ipſe non ita pridem reus actus in articulo capitali, coram Judice quem appellat, vitiati enormiter Proſperi, adeoque, ſi tam vera forent, quam ſunt falſa, quæ objectat, ut ſummum referre poterat: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.*

Verum diſpicite ingenium hominis. Virulento titulo debachatur in Patronum Gallum, ut corruptorem SS. Patrum, cum nihil in illum torqueat, niſi quod nomen celet, & Candidum tueatur in re diſpari: nam ne verbum elocutus eſt de Cypriani periodo, quam in Cliente Candido inſectatur. Certè malignitas, vel ſtupor

 immania-

immanis eſt, titulos tam mendaces, & acerbos, nulla habitâ Eruditorum ratione, ineptiſſimis ſuis chartis appendere.

Poſt hæc in arenam Actor noſter deſcendit, *Pugnaturus*, inquit, *intrepidè* (ſed firmet tibias) *pro Petri primatu & Cathedrâ, pro Patribus* (quos nunquam legit) *adverſus hæreticos & illis adſtipulantes, nominatim Ægidium Candidum.* Levis armaturæ miles,

Non tali auxilio non defenſoribus iſtis
Petrus eget.

Dudum corruiſſet Petri Cathedra & Primatus, ſi tam in utramque partem claudicantibus fulcris incubuiſſet. Non corpus tuum, Mi Nicolaë, ſed mentem impeto, quamvis non pugnet, ut aliquando forma corporis ſit & mentis. Memini te olim, & ſæpiùs * *Ambi-dexteræ & ancipitis rabularum Juriſprudentiæ*, ſolidè accuſatum, nec purgationem tui aliquam ſubſecutam videre licuit.

Jam ad ſcenicum & umbraticum joculatoris noſtri monſtrum devenîmus. Omne fundamentum tam viperei tituli, & ſcriptionis inconditæ, locus eſt Cypriani de *Unitate Eccleſiæ*, citatus *juxta emendatam Rigaltii è vetuſtiſſimis Exemplaribus lectionem.* Hunc cauſatur vitiatum, & in Candidum fervidè & ſaliente ſalivâ tanquam Hæreticis adſtipulantem, ac Catholicum Virum Rigaltium Juris-Prudentiæ ſuæ Collegam, velut *Hæreticorum Patronum*, deſpumat, nihil veritus leges de Libellis famoſis quas more ſuo ſine judicio & delectu accumulat.

Quam levi acu pulmoni iſti inflato ventum infamis criminationis excutio! In primis omnes veteres Editiones legunt ſine interpolationibus iſtis, de *illo* uno, de *unâ Cathedrâ*, de *Primatu Petri*, de *Petri Cathedrâ*, à Profeſſorculo noſtro, charactere Italico, interjectis. Deſpiciat Lector curioſus Editionem veterem innominatam typis recenter inventis, Spirenſem anni 1471. Pariſienſem 1512. Frobenianam 1520. & 1525. Colonienſem ejuſdem anni, Gryphianam 1528. Frobenianam 1530. Pariſienſem 1541. Antverpienſem ejuſdem anni, Frobenianam 1549. Lugdunenſem 1544. & 1550. Baſilienſem per Hervaſium 1558. aliaſque varias, & altum comperiet de ſpuriis illis aſſumentis ſilentium. Primam adulterinam quam vidi, Romana fuit Pauli Manutii anni 1563. qui audaci conſiliò hæc omnia infarciit, nullâ (quod indecens eſt Viro probo) additionis ſuæ ſpeciatim mentione factâ, vel redditâ ratione. Dein tamen conſpicere mihi licuit quamdam Editionem Guilielmi Morellii anni 1564 Pariſiis apud Nivellium, à corruptionibus intruſis immunem. Verùm paulò poſt Manutium ſecutus Pamelius nothos centones latiùs propagavit, atque ita ſenſim ſine ſenſu fraus prorepſit, & obtinuit, nemine, ut erat indoctum ſæculum, doloſas artes ſubodorante. Quivis enim non mucoſæ naris, preſſiùs rem conſiderans, vel ſine codicum antiquiorum ope, facilè advertet flagitium. Scopus, argumentatio Cypriani, & reliqua doctrina ejus adulterinam manum luculentè manifeſtat. Collimat tractatu iſto glorioſiſſimus Præſul, ut oves ſuas fortaſſis nonnihil vacillantes à ſchiſmate Novatiani deterreat, & conſtanter aſſerat Eccleſiæ gremio. Quapropter hortatus, ut *vigilent adverſus ſubdoli hoſtis inſidias*, quem magis metuendum eſſe dicit, cum *latenter obrepit* quam cum *apertâ impugnatione graſſatur*, nullum præſentiùs

* Epiſt. alt. famil. Monitoria ad E.D.N. du Bois.

ſentiùs laqueos illius evadendi aſſeverat eſſe remedium, quam *veſtigiis & verbis Chriſti inſiſtere, quæcunque & docuit & fecit diſcere & facere, & viæ ſalutaris veritatem tenere.* Porrò nullum aſſignat ſubtilius inimici & aſtutius ſtratagema dari, quam quò, *Videns idola ſua derelicta, & ſedes ſuas ac templa deſerta, hæreſes invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem.* Mox hæreſium, & ſchiſmatum commonſtrans origenem, *Hoc,* inquit, *eo fit, Fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur, nec Magiſtri Cæleſtis Doctrina ſervatur.* Hæc tria membra Rhetoricâ facundiâ idem repetitò ſonant, ita ut voces has, *Veritatis origo, Caput, Magiſtri Cæleſtis Doctrina,* in unum aliquem coïre neceſſe ſit. In quem verò hæc apud mentem cordatam & præjudiciis vacuam juſtè recidant, niſi in Chriſtum Salvatorem noſtrum, qui ſe *viam, & veritatem & vitam* edixit, qui antonomaſticè Eccleſiæ Caput eſt, & Magiſter de Cœlo deſcendens? Hæc enim conſonant cum iis, quæ ſupra dixit *Veſtigiis Chriſti vincentis inſiſtendum, & ſalutaris viæ tenendam eſſe* VERITATEM. Fuerint, & ſint, qui Pontificem veritatis canalem, aut huic affine, appellaverint & appellent, quis unquam librato judicio vocavit veritatis originem? Et ut eſſent, aut fuiſſent, quam hoc eſt alienum ab ingenio Cypriani, quo nemo Sanctorum legitur à Pontifice acrius & ferventius diſſenſiſſe?

Dein exponens S. Pater doctrinam illam Chriſti cui inſiſtendum eſt, locum citat ex Matthæo 16. capite: *Tu es Petrus & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam,* non ut Petri primatum adverſum noſtros Lutheranos & Calviniſtas efferat, ſed ut Eccleſiæ contra Schiſmaticum Novatiànum unitatem demonſtret. Ea etenim mens eſt Cypriani, hæc uni Petro dicta velut unam Eccleſiam, velut Apoſtolicum Collegium, velut ſucceſſores eorum Epiſcopos, demum velut unum Epiſcopatum, cujus à quoque in ſolidum pars tenetur, repræſentanti. Liquet hoc ex Epiſt. 27. lapſis ſcriptâ, quæ ſic incipit: *Dominus noſter cujus præcepta metuere & obſervare debemus,* EPISCOPI HONOREM, *&* ECCLESIÆ SUÆ RATIONEM *diſponens in Evangelio loquitur & dicit Petro: ego tibi dico, quia tu es Petrus & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram erunt ligata & in Cælis & quæcumque ſolveris ſuper terram erunt ſoluta & in Cælis: Inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut* ECCLESIA SUPER EPISCOPOS CONSTITUATUR, ET OMNIS ACTUS ECCLESIÆ *per eoſdem præpoſitos gubernetur.* Audin' *Eccleſiam ſuper Epiſcopos conſtitui & omnem actum Eccleſiæ per eoſdem gubernari* juxta Cyprianum? ſed ideo videlicet ad unum Petrum verba Chriſti diriguntur, ut hinc eluceſceret Eccleſiæ unitas, & Epiſcoporum omnium indiviſibile Sacerdotium; ſecundùm quod ait Epiſt. 40. *Deus unus eſt, Chriſtus unus, & una Eccleſia, & cathedra, ſuper Petrum Domini voce fundata, aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit.* Ubi per Sacerdotium non ſolius Petri Sacerdotium intelligit, ſed omnium omninò Eccleſiæ Catholicæ Epiſcoporum. Nam ſecundum doctrinam illius Conſtantiſſimam, * *à Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa, item Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus.* Et iterum:

* Epiſt. 52. ad Anton.

Digitized by Google

iterum: * *Eccleſia plebs Sacerdoti* (id eſt ſuo quæque Epiſcopo) *adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo: & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe: & fruſtra ſibi blandiri eos qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt: quando Eccleſia quæ Catholica una eſt ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa, & cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata.* Cui ſententiæ magnificè accedit Symmachus Papa, Epiſt. 1. ad Æon. Arelat. Epiſc. *Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas, unum eſt per diverſos Antiſtites Sacerdotium.*

In fulgorem veritatis hujus defixus Cyprianus, in loco quem jam diſcutimus, ait, *Quamvis dominus Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat: ſicut miſit me Pater & ego mitto vos ..... tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur.* Qui ſenſus omninò planus eſt & prædictæ doctrinæ concors, cum inſititiis vero *ſed exordium ab unitate proficiſcitur, primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur,* non modo aſper, & inconcinnus, ſed ſtolidus.

Non quod ignoremus Primatum illum, quem re cogente tueremur te validius ac ſolidius, ſed odimus manus adulteras, interpolationes ineptas, & ſtupra librorum ſanctorum.

Proſequamur. *Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex perſona Domini deſignat:* Rectè, ſi cum antiquis legimus in hunc mòdum: *Ut Eccleſia Chriſti una monſtretur. Quam unam Eccleſiam.* Turbidè & imperitè, ſi cum ſpuriis aſſumentis: *Ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur. Quam unam Eccleſiam &c.* Quæ enim, amabo, iſta connexio, *quam unam Eccleſiam?* Cur non potius, quam unam Cathedram? Et quid ad rem Battologia iſta interjecta, *& Paſtores ſunt omnes &c.?*

Sinceritatem veteris Lectionis magis adhuc demonſtrant controverſam periodum ſubſequentia. *Quam unitatem,* inquit, *firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia Præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum, unum atque indiviſum probemus. Nemo Fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat. Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. In ſolidum* forenſe vocabulum mi Nicoläe, quod ſi noſti, ut noſſe debes, quæ artis tuæ ſunt, ocyus ejura Cyprianum, & tace: *Nihil* enim *tibi & juſto illi.*

Vin' videre quam ſaltuatim opera illius delibes, ſi tamen inſpexeris? Ecce documento ſit quod citas in favorem tui ex epiſtola 55. *Neque aliunde hæreſes ſubortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.* Hæc tu poſt Pamelium de Petro & Romano Pontifice dicta autumas, ſed tam abſonè & extra oleas.

* Epiſt. 69.

oleas quàm nihil magis. Non de Petro, aut Pontifice, ſed Epiſcopo Carthaginenſi, ſed de ſe ipſo hæc ſcribit Cyprianus. Nihil illam epiſtolam vel mediocri attentione legenti manifeſtius. Tota apologetica ſui eſt adverſus factionem Feliciſſimi, qui multâ calumniarum merce onuſtus Romam navigarat ad Cornelium, ut intruſo Pſeudo-Epiſcopo Fortunato Cyprianus ſede pelleretur. Adverſum hos impoſtores apud Cornelium minis impiorum hominum nonnihil perterrefactum acerrimè ſe tuetur Cyprianus: *Si nequiſſimorum*, inquir, *timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione perficiant: actum eſt de* EPISCOPATUS VIGORE, ET DE ECCLESIÆ GUBERNANDÆ SUBLIMI AC DIVINA POTESTATE, *nec Chriſtiani ultra aut durare aut eſſe jam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt ut perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus.*

Deinceps Apologiam ſui contexens: *Non nobis ignominia eſt*, inquit, *pati à fratribus quod paſſus eſt Chriſtus, nec illis gloria eſt facere quod fecerit Judas. Quæ autem ſui elatio eſt, quæ comminantium tumens, & inflata, & vana jactatio, illic abſenti minari, cùm hic me habeant in poteſtate præſentem?* Ac poſteaquam Epiſcopali generoſitate minas adverſariorum ac ſuperbiam ſprevit, inſurgens in eorum convitia, *cum ſcriptum ſit*, infit, *neque maledici Regnum Dei conſequentur; & iterum Dominus in Evangelio ſuo dicat: qui dixerit fratri ſuo, fatue, & qui dixerit, racha, reus erit in gehenna ignis; quomodo poſſunt Cenſuram Domini ultoris evadere, qui talia ingerunt non ſolùm fratribus, ſed & Sacerdotibus* (hoc eſt, mihi) *quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quiſquis Sacerdoti ejus, & ad tempus hic judicanti non obtemperaret, ſtatim necaretur?* Poſtea Deuteronomii lege, Evangelio, facto Chriſti, & Pauli pro Epiſcopalis culminis reverentiâ allegatis: *Cum hæc*, inquit, *tanta ac talia & multa alia exempla præcedant, quibus ſacerdotalis auctoritas, & poteſtas de divinâ dignatione firmatur, quales putas eſſe eos, qui Sacerdotum* (hoc eſt mei) *hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri judicii ultione terrentur; neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt* (non ſubortæ) *aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.* (Alludit ad hoc quod ſuprà dixerat: *Quiſquis Sacerdoti ejus, & ad tempus hic judicanti non obtemperaret ſtatim necaretur*) *Cui*, pergit, *ſi ſecundùm Magiſteria divina obtemperaret Fraternitas univerſa* (ſcilicet Feliciſſimus cum ſuâ factione) *nemo adverſum Sacerdotum Collegium quidquam moveret, nemo poſt Divinum Judicium, poſt Populi Suffragium, poſt Coepiſcoporum Conſenſum Judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret.* Epiſcopi, hoc eſt iterum, mei, qui Sacerdotum Collegio, Divino Judicio, Populi Suffragio, Coepiſcoporum Conſenſu, electus ac ſacratus ad Cathedram Cartaginenſem conſcendi. Hæc omnia ex ſequentibus clariſſima ſunt v. g. cum inſtar Pauli laudes ſuas decantans, inquit: *Cæterum (dico enim provocatus, dico dolens, dico compulſus) quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando Populi univerſi Suffragio in pace deligitur, quando Dei auxilio in perſecutione protegitur, Collegis omnibus fideliter junctus, Plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio jam probatus, in quiete ſerviens diſciplinæ, in tempeſtate proſcriptus, applicito & adjuncto Epiſcopatus ſui nomine, toties ad leonem petitus, in circo,*

in

Digitized by Google

in Amphitheatro dominicæ dignationis teſtimonio honoratus, & cætera, quæ ſequuntur Cypriano merè perſonalia, & quæ, ne cum tædio eamus in longum, neceſſe eſt reſecare.

Verùm, ne vel minima quidem aſſertionis hujus noſtræ dubitatio ſupereſſe poſſit, eadem de ſe eiſdem pænè apiculis ſcribentem damus ad Florentium Pupianum epiſt. 69. quæ eſt Apologetica ejuſdem argumenti. Cùm retuliſſet proſcriptum ſe fuiſſe eo titulo, quod Chriſtianorum eſſet Epiſcopus, *Nec hæc jacto*, inquit, *ſed dolens profero, cum te Judicem Dei conſtituas & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicariâ ordinatione ſuccedunt: qui audit vos me audit, & qui me audit, audit eum qui me miſit; & qui rejicit vos me rejicit, & eum qui me miſit; inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem ſuam Præpoſitos & Sacerdotes vocare, ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententiâ tuâ abſoluti, ecce jam ſex annis nec Fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs Præpoſitum, nec grex Paſtorem, nec Eccleſia Gubernatorem, nec Chriſtus Antiſtitem, nec Deus Sacerdotem?*

Evolvant Theologiæ Candidati has binas epiſtolas accuratè, & deſultoriæ levitatis Profeſſorculum dignum cenſebunt, quem ad Theologica ſuggeſta proſilientem triviales pueri ſoleis gnaviter depalment.

Quid, quod & eadem ſententia Cypriani, non obſcurè pelluceat in verbis à Theologaſtro aſſignatis, qui, ne ſplendor nimiùs irrueret, poſtremos radios oppilavit. Nam vice citati centonis *Petrus ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia unus pro omnibus loquitur* in Cypriano hæc habentur: *unus pro omnibus loquens &* Ecclesiæ voce *reſpondens ait.*

Fraus eadem commiſſa in citatione epiſt. 73. ubi leges: *Nam Petro primum Dominus ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & unde unitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in Cælis, quod ille ſolviſſet in Terris. Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur dicens: Sicut miſit me Pater & ego mitto vos: Hoc cum dixiſſet, inſpiravit, & ait illis: Accipite Spiritum Sanctum, ſi cujus remiſeritis peccata, remittuntur illi, ſi cujus tenueritis tenebuntur. Unde intelligimus non niſi in Eccleſia præpoſitis, & in Evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis, licere baptizare & remiſſam peccatorum dare.* Et infrà eodem ſenſu. *Quo venturus eſt qui ſitit, utrumne ad hæreticos, ubi fons & fluvius aquæ vitalis omnino non eſt? An ad Eccleſiam quæ una eſt, & ſuper unum, qui & claves accepit, Domini voce fundata eſt? Hæc eſt una, quæ tenet & poſſidet omnem Sponſi ſui & Domini ſui poteſtatem, in hac* Præsidemus, *pro honore ejus atque unitate pugnamus, hujus & gratiam pariter, & gloriam fidei virtute defendimus.*

Quid jam (quæſo) facias iſtis hominibus, qui cum tam peregrini & hoſpites, vel malæ fidei in Patribus ſint, alios pudendo ſcommate inclamant *hæreticis adſtipulantes, & patronos hæreticorum?*

Quæ deinde Profeſſorculus oberrans eâdem inſcitiæ chordâ de *Magiſtri Cæleſtis Doctri-*

Digitized by Google

Doctrinâ muſſitat, ex genuina ſuperiùs datâ explanatione Cypriani in fumos & ventos abeunt.

Cætera Rigaltii nihil ad Patronum Gallum & Ægidium Candidum. Ipſum petat ſi lubido eſt. Ætatem & linguam habet, pro ſe loquatur.

Demum Gratianum appellat Leguleius. Hic, ſi uſpiam, victoriam reportet, neceſſe eſt. Jam enim è tripode ſua adverſum Theologos pugnat Canoniſta. Quam tamen ubique infelix infortunatus & miſerabilis! Legitne Gratianum aliquando? Quod genus hoc dubii exorbitantis & ſcelerati? Interim cauſa 24. q. 1. Ubi periodum noſtram controverſam *de unitate Eccleſiæ* ad longum promit Gratianus, comperio illam antiquis editionibus conſonam, ſinceram, incontaminatam, furtivis plumis ſeu ſpuriis aſſumentis nudatam.

Hæc non debuit Profeſſor noſter neſciſſe, aut, ſi ſcivit diſſimulaſſe, ut laciniam aliquam ſpuriam carperet è diſtinct. 93. cap 3. gemellus omnibus malarum cauſarum patronis, qui miſſis ſententiis auctorum, ubi rem ex profeſſo tractant, perſpicuis, centones avellunt ad opinionis deſponſatæ phaleram, non indaginem veritatis.

Advertite audaciam hominum in antiquis *Decreti* editionibus adulterinus ille cento citatur à Gratiano velut excerptus ex epiſt. 9. lib. 4. quæ non alia eſſe poteſt, quam 69. ad Florentium Pupianum, in qua nihil eſt ſimile. Pamelius (ita vires ſumit confidentia) eum inſuit, libello *de unitate Eccleſiæ*, adjectâ annotatiunculâ: *Confirmat eam lectionem Gratianus diſt. 43. cap. qui Cathedram. Ubi hæc ipſa verba Cypriano adſcribit. Atque adeo illam non ſumus veriti in textum inſerere.* Sed cautè ſiluit, quo loco hæc Gratianus adſcripſerit Cypriano, nam, ut dixi, adſcripſerat epiſt. 9. lib. 4. ubi nihil affine. At poſtquam per Pamelium inſertus eſt Tractatui de unitate Eccleſiæ, ut video, in recentioribus editionibus Gratiani ad illum remittitur. Ita, velut

Pictoribus atque Poëtis,

ſic editoribus & correctoribus Librorum,

Quidlibet audendi fiet demum æqua poteſtas.

Denique ut oſcitantiæ ſuæ Profeſſorculus ſpecimen poſtremùm daret, referre placuit, Scholium Romanorum, ut nuncupat, correctorum, tertio iſti capiti 93. diſtinctionis affixum. Recordor proverbii, jam olim, cùm Lovanii degerem, ab Eximio Viro in Profeſſorem intorti. *Legit ille libros*, aiebat, *ſicut Gallus ſaltans ſuper prunas.* Probam habetote tyrones Theologi, quam ſemper habetis.

En ſcholium integrum: *apud Cyprianum Romæ impreſſum* (aiunt Scholiaſtæ) *hæc leguntur.* Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? (Objectio eſt adverſum laciniam ſpuriam. Ecce ſolutionem) *Verùm.* inquiunt, *in Vaticana Bibliotheca præter octo integra Cypriani exemplaria, eſt etiam aliud, in quo tantum opuſcula quædam continentur & inter ea hic tractatus. Atque* IN EO CODICE, *itemque in altero integro Monaſterii S. Salvatoris Bononiæ ſunt verba hæc, quæ à Gratiano & Ivone afferuntur.* Ubi ſenſus eſt, Cyprianum Romæ impreſſum & octo integra Cypriani exemplaria bibliothecæ Vaticanæ, adſtipulari veteri, & illibatæ editioni, unicum vero dumtaxat codicem

Google

cem, in quo tantùm opuſcula quædam continentur, & alterum Monaſterii S. Salvatoris centoni adulterino Gratiani & Ivonis favere. Porrò quæ iſta forma eſt æquitatis, ut octo exemplaribus integris bibliothecæ Vaticanæ, ut editioni Romanæ antiquæ, ut impreſſionibus priſcis omnibus nullâ exceptâ, ut manuſcriptis per orbem ſparſis, ad quæ impreſſiones illæ collatæ & repurgatæ ſunt, ut in frontiſpiciis præferunt, contra mentem, ſcopum, & unanimem doctrinam auctoris prævaleat exemplar unum integrum Bononienſe, & unum aut alterum quod Pamelius jactitat?

Hanc æquitatem in edendis ac probandis libris teneant, quibus cerebrum in calcaneis eſt, non in occipite.

Quid igitur ſupereſt? Sententiam operior. Vereor ut talis ſit: PROFESSOR LUDIUS QUI THEOLOGOS IN SCENAM CIET, STREPERIS MORIONUM FUSTIBUS, ABIGATUR THEATRO. Et omnes plaudite.

CENSURA.

Multa ſunt ſic digna revinci, ne gravitate adorentur.
Tertull. adverſ. Valent.

FINIS.

Digitized by Google